



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Regi Hungarorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

valeat gubernare. Alioquin cum nullus Imperator, nullus Princeps, Episcoporum translationi se unquam præsumpserit immiscere, nos ecclesiasticam libertatem in hoc & sedis apostolicæ dignitatem, quæ à prædecessoribus nostris ad nos hæcenus emanavit, & à nobis ad successores nostros in finem seculi favente Domino protendetur, nullatenus pateremur infringi, quin pro ea potius, si necesse foret, animam poneremus. Datum Laterani X. Kal. Aprilis.

*Scriptum est super hoc dicto Legato, Hildefesemensi Episcopo, & Præposito Bonnensi.*

*Siffrido Archiepiscopo Magantino &c. in eundem ferè modum usque cassationem postulacionis factæ de Warmaciensi Episcopo ratam habemus, & electionem tuam auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti pagina communimus. Et ne quid ad executionem archiepiscopalis officij tibi desit, palleum, videlicet in signe plenitudinis pontificalis officij, fraternitati tuæ duximus concedendum. Nulli ergo &c. confirmationis &c. Datum Laterani XII. Kal. Aprilis.*

*Cabilonensi Episcopo & Abbati Cisterciensi.*

*Epist. 15. De absolutioe Abbatis S. Secuani.*

**S**ignificantibus filiis dilectis G. Priore & conventu sancti Secani ad nostram noveritis audientiam pervenisse quod Abbas eorum, de quo spem certam conceperant quod ruinas monasterij refarciret, signum crucis de manibus dilecti filij nostri P. tituli S. Marcelli Presbyteri Cardinalis, tunc apostolicæ sedis Legati, suscepit & proposuit transfretare. Vnde quia ex ejus absentia paupertatem rerum temporalium, dissolutionem ordinis, & ædificiorum ruinam dicti Prior & monachi metuebant, postularunt à nobis ut vel eum absolveremus à voto peregrinationis emisso, vel faceremus illud in aliud commutari. Quare monasterio ipsi volentes paternam sollicitudine providere, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus cum ex defectu senilis ætatis idem Abbas asseratur impotens ad eundem, ipsum auctoritate nostra suffulti à voto hujusmodi absolvatis, sic tamen ut juxta vestræ discretionis arbitrium & sui monasterij facultates subventionem idoneam dirigat in subsidium terræ sanctæ, ac vacet devotius operibus pietatis, & ferventius ad observantiam ordinis & monasterij sui restaurationem intendat. Datum Laterani V. Idus Aprilis.

Tom. I.

*Capitulo Ragusino.*

**Q**ualiter Archiepiscopus vester temeritate propria recesserit ab Ecclesia Ragusina, nec jam ultra quadriennium expectatus redierit, & per literas nostras etiam revocatus, vestra universitas plenè novit, cum sæpius apud nos super hoc deposueritis de ipso querelas, & vobis concedi postulaveritis licentiam eligendi. Nos autem expectantes diutius duximus expectandum si forrè reverteretur ad cor, & ad Ecclesiam suam, quam taliter reliquerat, remearet. Nolentes igitur quod diutius Ecclesia ipsa pastoris maneat solatio destituta, discretionis vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus quatenus, nisi forsitan jam redierit, vos post mensè à receptione præsentium personam vobis idoneam in Archiepiscopum eligatis, & electionem vestram nobis curetis quam citius præsentare. Datum Laterani.

*Epist. 16. Datur facultas eligendi propter diutinam absentiam Archiepiscopi. Cap. 9. De cler. non resid.*

*Regi Hungarorum.*

**S**cientes serenitatem regiam in devotione sedis apostolicæ solidatam, de ipsius prosperitate gaudemus, & felices successus ipsius, proprios reputamus. Vnde cum nobis per dilectum filium N. nuntium suum intimasset sollicitudo regalis quod terram Meganipani ad suum dominium revocasset, gavisi sumus in Domino, & ei qui dispersa congregat, & congregata conservat, gratiarum exsolvimus actiones. Credimus autem serenitatem regiam meminisse qualiter etsi olim ad instantiam ejusdem Meganipani disposuerimus Legatum nostrum mittere in Sarniam, tandem voluntate tua plenius intellecta, à proposito desistentes, magnificentia tuæ duximus deferendum. Monemus igitur magnificentiam tuam & exhortamur in Domino quatenus sicut nos tibi & regno tuo in hac parte detulimus, sic celsitudo regalis curet nobis & apostolicæ sedi deferri, institutiones Ecclesiæ Romanæ in terra ipsa servari præcipiens, eam plenius ad obedientiam nostram reducens, ut fiat unum ovile & unus pastor, cum hoc ipsum tibi & regno tuo videatur plurimum expedire. Datum Laterani.

*Epist. 17. Hortatur Regem ad devotionem apostolicæ sedis. Vide Rainaldum ad an. 1202. §. 9.*

*Electo Cameracensi.*

**E**X parte tua fuit nostris auribus intimatum quod sæpe in diocesi Cameracensi contingit ut dum quempiam de ne-

*Epist. 18. De supplenda negligentia Prelatorum.*

Iiii ij